

SOSTRATA PAMPHILVS (LACHES) ii

SO. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam,
uxorem tuam

propter meos mores hinc abisse, etsi ea dissimulas sedulo.
verum ita me di ament itaque optingant ex te quae exoptem
mihi ut

580 numquam sciens commerui merito ut caperet odium illam
mei.

teque ante quod me amare rebar, ei rei firmasti fidem; 5
nam mi intu' tuo' pater narravit modo quo pacto me
habueris

praepositam amori tuo: nunc tibi me certumst contra gratiam
referre ut apud me praemium esse positum pietati scias.

585 mi Pamphile, hoc et vobis et mea commodum famae ar-
bitror:

ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre, 10
ne mea praesentia obstet neu causa ulla restet relicua
quin tua Philumena ad te redeat. *PA.* quaeso quid istuc
consilist?

illi(u)s stultitia victa ex urbe tu rus habitatum migres?

590 haud facies, neque sinam ut qui nobis, mater, male dictum
velit,

mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia. 15

tum tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies
mea causa nolo. *SO.* nil pol iam istaec mihi res voluptatis
ferunt: